Multo labore ſudatum eſt, & non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem. Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata a ſordibus tuis: ſed nec mundaberis prius, donec quieſcere faciam indignationem meam in te. *Ezech.* 24. 12

Et hæc quidam fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. 1. *Cor.* 6. 11

Has ergo habentes promiſſiones, cariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei. 2. *Cor.* 7. 1

Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. 1. *Theſſ.* 4. 7

Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dextram majeſtatis in excelſis. *Hebr.* 1. 3

Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi? *Ibid.* 9. 13

Qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo. *Apoc.* 1. 5

Munditia ficta acriter reprobatur.

AUdite & intelligite: Non quod intrat in os coinquinat hominem: ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. *Matth.* 15. 10

Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis eſt calicis, & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina & immunditia. Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis & paropſidis, ut fiat id, quod deforis eſt, mundum. *Ibid.* 23. 25

Phariſæi enim, & omnes Judæi, niſi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum: & a foro (*venientes*), niſi baptizentur, non comedunt: & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſervare, baptiſmata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum. *Marc.* 7. 3

Nunc vos Phariſæi, quod deforis eſt calicis, & catini, mundatis: quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina, & iniquitate. --- Verumtamen, quod ſupereſt, date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis. *Luc.* 11. 39

TITULUS XXX.

Munus.

Munerum acceptio periculoſa.

NOn accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt, ne dicas: Ego ditavi Abraham. *Gen.* 14. 23

Nec accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes & ſubvertunt verba juſtorum. *Exod.* 23. 8. Deut. 16. 19

Perrexeruntque ſeniores Moab --- habentes divinationis pretium in manibus. *Num.* 22. 7. 8. *Vide totum contex.*

Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam ſanguinis innocentis. *Deut.* 27. 16. *Vide exemplum* Judic. 16. 5

Sed declinaverunt (*filii Samuel*) poſt avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium. 1. *Reg.* 8. 3. Cap. 12. 3. 4

Giezi munera accipiens, leproſus fit. 4. *Reg.* 5. 21. 27

Et ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Job.* 15. 34

Non te ergo ſuperet ira --- nec multitudo donorum inclinet te. *Ibid.* 36. 18

Qui munera ſuper innocentem non accepit --- non movebitur in æternum. *Pſal.* 14. 5

In quorum manibus iniquitates ſunt: dextera eorum repleta eſt muneribus. *Pſal.* 25. 10

Conturbat domum ſuam, qui ſectatur avaritiam: qui autem odit munera, vivet. *Prov.* 15. 27. Iſa. 33. 15

Munera de ſinu impius accipit, ut pervertat ſemitas judicii. *Ibid.* 27. 23. *Vide &* cap. 22. 9

Non ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. *Eccli.* 4. 36

Xenia & Dona excæcant oculos judicium, &c. *Ibid.* 20. 31

Donec accipiant, oſculantur manus dantis, &c. *Ibid.* 29. 5. Iſa. 1. 23

Principes ejus in muneribus judicabant, & ſacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant, *propterea Jeruſalem vaſtabitur.* *Michea* 3. 11. Ezech. 22. 27. Soph. 3. 3

Milites pecunia corrumpuntur, conf. Matth. 28. 12. v. 15. & Prov. 24. verſ. 26. 27. Judæ v. 16. 1. Mach. 2. 18. &c. Actor. 8. 20

Munerum oblationis & exhibitionis exempla. Vide etiam Acceptatio. Munerum.

REx Sodomorum Abrahæ. Gen. 14. 21

Jacob Eſau fratri. Ibid. 33. 9

Jacob Joſepho munera mittit. Ibid. 43. 11

Iſraelitæ munera offerunt ad tabernaculum. Exod. 35. 20

Aod Regi Eglon munera dat. Judic. 3. 17

Regina Saba Salomoni, & idem ipſi Reginæ. 3. *Reg.* 10. 10. v. 13

Aſa Regi Benadad. 3. *Reg.* 15. 18

Rex Babyloniorum Regi Ezechiæ. 4. *Reg.* 20. 12

Achaz Regi Aſſyriorum. 2. *Paral.* 28. 2

Bethuliani Judith. Judit. 15. 13

Magiſter militiæ Jeremiæ. Jerem. 40. 5

Nabuchdonoſor Danieli. Dan. 2. 48

Jonathas Alexandro. 1. *Mach.* 10. 60

Magi Chriſto. Matth. 2. 11

Munerum recuſationis in tempore a piis facta exempla.

ABraham nihil accepit a Rege Sodomorum, ne dicat: ſe ditaſſe ipſum. Gen. 14. 23

Reſponditque vir Dei ad regem: Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum: *Ita enim Eliſeus nihil ſumpſit a Naaman gentili, quem ſanaverat.* 3. *Reg.* 13. 8

Reſpondit Daniel Regi: Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da. *Dan.* 5. 17. *Vide & exemplum generoſum.* 1. Mach. 2. 18

Dixit Petrus Simoni: Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. *Actor.* 8. 20

TITULUS XXXI.

Murmuratio.

Murmurationis ejuſdemque pœna dicta & exempla. Vide & Impatientia.

DIxitque Cain ad Dominum: Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear, &c. *Gen.* 4. 13

Murmuraverunt Iſraelitæ contra Pharaonem Exod. 5. 21. *& contra Moyſen & Aaron* v. 15. v. 12

Et dixerunt ad Moyſen (*filii Iſrael, videntes Pharaonem & Ægyptios appropinquare*) Forſitan non erant ſepulcra in Ægypto, ideo tuliſti nos, ut moreremur in ſolitudine: quid hoc facere voluiſti, ut educeres nos ex Egypto? *Exod.* 14. 11

Et murmuravit populus (*Iſrael*) contra Moyſen, dicens: Quid bibemus. *Ibid.* 15. 24. c. 16. 2

Et mane videbitis (*dixerunt illis Moyſes & Aaron*) gloriam Domini: audivit enim murmur veſtrum contra Dominum: nos vero quid ſumus, quia muſſitaſtis contra nos? Et ait Moyſes: Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere, & mane panes in ſaturitate: eo quod audierit murmurationes veſtras, quibus murmurati eſtis contra eum: nos enim quid ſumus? nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum. *Ibid.* 16. 7

Qui jurgatus (*populus Iſrael*) contra Moyſen, ait: Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus reſpondit Moyſes: Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? *Ibid.* 17. 1. Num. 20. 4

Interea ortum eſt murmur populi quaſi dolentium pro labore contra Dominum: quod cum audiſſet Dominus, iratus eſt. Et accenſus in eos ignis Domini, devoravit extremam caſtrorum partem. *Num.* 11. 1. Pſal. 77. 19

Iratuſque (*Moyſes*) contra eos (*Aaronem & Mariam*) abiit: nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra quaſi nix (*ſcilicet in pœnam peccati.*) *Ibid.* 12. 9. Num. 20. 2. Cap. 13. 31. c. 14. v. 2. & 27. & 36. Cap. 16. 3. & 49

Poſt terribilem mortem ſeditioſorum, multitudo murmuravit contra Moyſen &c. dicens: Vos interfeciſtis populum Domini, &c. *Num.* 16. 41

Cur eduxiſtis nos de Ægypto, ut moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt. Peccavimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te: ora, ut tollat a nobis ſerpentes. *Ibid.* 21. 5. Joſue 9. 18. Judith. 8. 10

Murmuraſtis in tabernaculis veſtris, atque dixiſtis: Odit nos Dominus, & idcirco eduxit nos de terra Ægypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. *Deut.* 1. 27

Cuſtodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodeſt, & a detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur occidit animam. *Sap.* 1. 11

Phariſæi, dicebant diſcipulis *Chriſti*: Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter? *Matt.* 9. 11. *Vide &* C. 12. 2. & 15. 2. Marc. 2. v. 6. & 24. C. 7. 5. Luc. 5. 30. 6. 2

Mercenarii murmurabant adverſus patremfamiliam, dicentes: Hi noviſſimi una hora fecerunt, &c. *Ibid.* 20. 11

Indignati diſcipuli dixerunt: Ut quid perditio hæc? &c. *Ibid.* 26. 8

Et murmurabant Phariſæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. *Luc.* 15. 2. Cap. 19. 7

Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi, &c. *Joan.* 6. 41. Reſpondit ergo Jeſus, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem. v. 43. Actor. 6. 1. Joan. 7. 32

Neque murmuraveritis, ſicut quidam eorum murmuraverunt; & perierunt ab exterminatore. 1. *Cor.* 10. 10

Omnia autem facite ſine murmurationibus, & hæſitationibus. *Phil.* 2. 14. *Vide &* 1. Petr. 4. 9
Hi ſunt murmuratores queruloſi, ſecundum deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperba, mirantes perſonas quæſtus cauſſa. *Judæ* 16

TITULUS XXXII.

Muſica.

Muſica Inſtrumenta divinis celebrandis laudibus adhibenda.

DAvid autem & omnis Iſrael ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis. 2. *Reg.* 6. 5
Dixitque David principibus Levitarum, ut conſtituerent de fratribus ſuis cantores in organis muſicorum, nablis videlicet & lyris, & cymbalis, ut reſonaret in excelſis ſonitus lætitiæ. 1. *Paral.* 15. 16. *Vide* Cap. 25. 1
Cymbalis, & pſalteriis, & citharis concrepabant, ſtantes ad orientalem plagam Altaris, & cum eis ſacerdotes centum viginti canentes tubis. Igitur cunctis pariter & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diverſi generis muſicorum concinentibus, & vocem in ſublime tollentibus, longe ſonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cœpiſſent & dicere: Confitemini Domino, &c. 2. *Paral.* 5. 12. Cap. 29. 25
Confitemini Domino in cithara: in pſalterio decem chordarum pſallite illi: Cantate ei canticum novum: bene ſpallite ei in vociferatione. *Pſal.* 32. 2. Pſal. 57. 9. 70. 22. 80. 3. 91. 4. 97. 5. 101. 3. 143. 9. 146. 7. 149. 3. 150. 3. 4

TITULUS XXXIII.

Mutuatio.

Mutuatio fructuoſa.

SI unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perſpexeris. *Deut.* 15. 7
Volenti mutuari a te, ne avertaris. *Matt.* 5. 42
Et ſi mutuum dederitis his, a quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus fenerantur, ut recipiant æqualia --- Mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa. *Luc.* 6. 34

Periculoſa.

MUtuabitur peccator, & non ſolvet. *Pſal.* 36. 21
Et qui accipit mutuum, ſervus eſt fenerantis. *Prov.* 22. 7

N

Negligentia. Vide Acedia.

TITULUS I.

Negotiantium. Vide & emere & vendere.

Negotiationis corporalis periculoſitas,

DUæ ſpecies difficiles, & periculoſæ mihi apparuerunt: difficile exuitur negotians a negligentia: & non juſtificabitur caupo a peccatis labiorum. *Eccli.* 26. 28
Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, ſic & inter medium venditionis & emptionis anguſtiabitur peccatum. *Ibid.* 27. 2
In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ, polluiſti ſanctificationem tuam. *Ezech.* 28. 18

Æquitas.

MAlum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor, & cum receſſerit, tunc gloriabitur. *Prov.* 20. 14
Et ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum. 1. *Theſſ.* 4. 6

Negotiatum Exempla.

VIri iſti pacifici ſunt, & volunt habitare nobiſcum: negotientur in terra, & exerceant eam, quæ ſpatioſa & lata cultoribus indiget. *Gen.* 34. 21
Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus --- vendiderunt eum (*Fratres Joſeph*) Iſmaelitis, &c. *Ibid.* 37. 28
Adducebantur autem ei equi de Ægypto, & de Coa a negotiatoribus regis, qui ibant & emebant pretio --- ſimiliter de univerſis regnis Hethæorum, &c. emptio celebrabatur. 2. *Paral.* 1. 16
Et manſerunt negotiatores & vendentes univerſa venalia, foris Jeruſalem ſemel & bis. 2. *Eſdr.* 13. 20
Quis cogitavit hoc ſuper Tyrum quondam coronatam, cujus negotiatores principes, inſtitores ejus inclyti terræ? *Iſa.* 23. 8

Carthaginienſes negotiatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, ſtanno, plumboque repleverunt nundinas tuas, &c. *Ezech.* 27. 12
Chriſtus ejiciebat e templo omnes negotiantes profanantes iſtud. Matth. 21. 12. *Vide* Marc. 11. 15. Luc. 19. 45. Joan. 2. 14. *Vide &* Apoc. 18. 11

Nequitia. Vide Malitia.

TITULUS II.

Nomen.

Nominis Dei invocatio fructuoſa.

TUrris fortiſſima, nomen Domini: ad ipſum currit juſtus, & exaltabitur. *Prov.* 18. 10
Omni vita tua dilige Deum, & invoca illum in ſalute tua. *Eccli.* 13. 18
Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum & feci eum. *Iſa.* 43. 6
Et cecidimus quaſi folium univerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos. Non eſt, qui invocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te. *Ibid.* 64. 6
Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum invocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos. *Jerem.* 14. 9
Et erit: omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. *Joſ.* 2. 32
Quid tu ſopore deprimeris? ſurge: invoca Deum tuum. *Jona* 1. 6
Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. *Malach.* 1. 11
Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum, &c. *Rom.* 10. 12. *Vide &* Actor. 2. 21

Infructuoſa.

NOn omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum. *Matth.* 7. 21. *Vide* Matth. 25. 11
Et diſcedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. 2. *Tim.* 2. 19

Nominis Dei frequentatio periculoſa.

NOn uſurpabis nomen Domini Dei tui fruſtra. *Deut.* 5. 11. Exod. 20. 7. Levit. 19. 12
Nominatio vero Dei non ſit aſſidua in ore tuo, &c. *Eccl.* 23. 10
Sicut ſervus crebro vapulatus non levatur vibicibus: ita qui dejerat, & nomen Dei aſſidue uſurpat, culpa non vacabit. Ibid. v. 11

Nominum impoſitionis Exempla.

Variis locis. EVa. Gen. 3. 20. *Seth.* c. 2. 25. *Noe* c. 5. 29. *Iſmael* c. 16. 11. *Sara* c. 17. 15. *Iſaac ibid.* v. 19. *Moab* c. 19. 37. *Ammon ibidem* v. 38. *Eſau* c. 25. 25. *Jacob ibid.* v. 26. *Ruben* c. 29. 32. *Simeon ibid.* v. 33. *Levi ibid.* v. 34. *Juda* v. 35. *Joſeph* c. 30. 24. *Benjamin* c. 35. 18. *Manaſſes* c. 41. 51. *Ephraim ibid.* v. 52. *Moyſes* Exod. 2. 10. *Gerſon & Eliezer ibid.* v. 22. & c. 18. 3. *Samuel* 1. Reg. 1. 20. *Lorhamo* (*abſque miſericordia*) Oſeæ 1. 6. *Loammi* (*non populus*) *ibid* v. 9. *Joannes* Luc. 1. 60. &c. *Jeſus* Luc. 2. 21

TITULUS III.

Noviſſima.

Noviſſimorum memoria a malo revocat.

UTinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent. *Deut.* 32. 29
Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita. *Eccl.* 11. 8
In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. *Eccl.* 7. 40
Memento noviſſimorum, & deſine inimicari. *Ibid.* 28. 6

Ad bonum incitat.

IN die bonorum, ne immemor ſis malorum: & in die malorum ne immemor ſis bonorum: quoniam facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum vias ſuas. *Eccl.* 11. 27
Memento iræ in die conſummationis, & tempus retributionis in converſatione faciei. *Ib.* 18. 24
Ne dederis in triſtitia cor tuum: ſed repelle eam a te, & memento noviſſimorum. *Ibid.* 38. 21
Memor eſto judicii mei: ſic enim erit & tuum. Mihi heri, & tibi hodie. *Ibid.* v. 23
Non poſuiſti hæc ſuper cor tuum, neque recordata es noviſſimi tui. *Iſa.* 47. 7

TITULUS IV.

Novum Teſtamentum.

ECce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Iſrael & domui Juda fœdus novum. *Jerem.* 31. 31
Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. *Matth.* 26. 28. *Idem verbatim habetur* Marc. 14. 24. *Item* Luc. 22. 20